CONCIO

DOCTORIS PETRI

FONTIDONII HISPANI SEGOBIEN.
THEOLOGI ILLVSTRIS. AC REVEREND.
D. Petri Goncalez de Mendoza,
Episcopi Salmantini.

HABITA AD SACROSANCTAM
SYNODVM TRIDENT.
DOMINICA SANCTISS.
TRINITATIS.

XXIIII. Maii. MDLXII.



PATAVII
Ex officina Laurentii Pasquatii & Sociorum.
MDLXII.

CONCIO DOCTORIS PETRI FONTIDONII, HISPANI, SEGOBIENSIS, THEOLOGI, ILLVSTRISS. AC REVEREND.

Petri Goncalez de Mendoza, Episcopi Salmantini; habita ad sacrosanctam Synodum Tridentinam Dominica sanctißimæ Trinitatis Vigesimaquarta Maij. Anno. 1562.

Absque Synagogis facient uos. Ioan. 16.



SI CVM *rudes, & populares homines, euãgelicis præceptis instituendi, & amore uirtutis inflammandis sunt, a magnis etiam, & excellenti ingenio atq; doctrina uiris, in ipso statim concionis ingressu, atq; uestibulo, diuini numinis fauor implorari consueuit: quanto maiori ratione hodierno die, & mihi et in hoc theatro sapientiæ, & apud ecclesiæ principes, & de re omnium grauißima & difficillima dicenti, omnia erunt inuocanda cœlestia patrocinia, & diuinus animorum medicus, atque magister Christus, precibus erit sollicitandus: Vt illos in nobis spiritus ad dicendum accendat quos huic tantæ prouinciæ uidet esse necessarios, quos ut facilius obtinere ualeamus, illius matrem sanctißimam, uirginem Mariam, solitis illis officiosißimis, iucundißimisq; angelicæ salutationis uerbis interpellemus dicentes. Aue Maria.*

Absque Synagogis facient uos. Ioan. 16.

CVM *nihil sit præstantius amabiliusq; ueritate Illustriß. Legati Reuerendiß. Patres, cuius amore incensi & inflammati mortales, nullis ut eam assequerentur laboribus parcendum, sed uota studiaq; omnia illi consecranda, immo totas suas ætates pleriq; in eius inuestigatione conterendas iudicauerint: mirum profecto mihi sæpe uideri solet unde tan subito contra ueritatem tantum odium exarserit ut cuius tanto studio & cupiditate antequam esset inuenta homines tenebantur, eam in lucem iam æditam tam acerbo & intestino odio prosequerentur. Neque enim Christum seruatorem nostrum uitæq; magistrum alio nomine perditi & profligati homines tam acriter insectati sunt, quàm quòd cum ipse ueritas esset, se ueritatem appellauerit, & ueram recte sentiendi optimeq; uiuendi uiam innocentißima uita & cœlesti sapientia mortalibus patefecerit: neque* Ioan. 14.

quidpiam aliud contra illius discipulos acerrimos ueritatis patronos uete-
rum tyrannorum carnificinas quàm odium ueritatis armauit. Quòd si ue
terem etiam rerum gestarum memoriam iam inde ab initio ad hæc usq; no-
stra infœlicißima tempora repetamus, inueniemus plane & ueritatem ip-
sam inuisam semper fuisse mortalibus, & eos qui illius causam patroci-
niumq; susceperunt, & publico odio conflagrasse, & impios contra se sce-
leratorum hominum animos, armaq; mouisse. Hinc prophetarum fuga,
exilium, cruciatus interitusq; promanarunt. Hinc uideas Michæam odio ha
bitum, Hieremiam in carcerem teterrimum detrusum, Heliam sanctißi-
3.Re.22. mum uirum aperditißima fœmina indignis modis uexatum, Zachariam
Hier.38. Ioiadæ filium lapidibus obrutum, Esaiam serra confectum Crudelißime tru
3.Re.19. cidatum, cœlestemq; illum præconem Ioannem Baptistam obtruncatum,
2. Para. eiusq; caput uenerandum impudentißimæ saltatrici tanquam impudentiæ
24. præmium atq; mercedem exhibitum. Sed nihil mirandum est, pugnat enim
ueritas cum hominum sceleribus, cum ambitione, superbia auaritia, cum om
ni genere improbitatis bellum gerit, tot habet hostes quot uitia: tum uero
principem ipsum mendatijq; parentem dæmonem sibi infensißimum, quo fit
ut non potuerit dignitatem suam citra puluerem & sanguinem conserua-
re. Accerrimos igitur perpetuo & innumerabiles hostes paucißimos uerò
patronos & defensores adepta, sic semper infestas & inimicas mortalium
mentes experta est, ut mihi quidem totum penè orbem contra ueritatem
pugnasse, & odium simul cum illa natum & educatum eius semper socium
atque comitem extitisse uideatur. Etenim antiquis temporibus ante aduen
tum Christi fœlicißimum, cum homines non expressam aliquam ueritatis
imaginem, sed quasdam illius umbras, uestigiaq; sequerentur, non tamen
defuerunt qui illas etiam umbras & odio haberent & accerrime insecta-
rentur: Nam si qui tum magni & excellentes homines uirtute atque sa-
pientia floruere, qui ueritatis amore flagrantes, illius uindices & asserto-
res esse uoluerunt, ij plane cæteris inuisi, multis sæpe incommodis, & con-
tumelijs affecti sunt: sed cum non satis essent ad illius defensionem anima-
ti, qui honorem uitamq; suam illius dignitati anteferendam ducerent, mol-
les & delicati patroni, eius causam turpiter prodiderunt. Vexata ergo
tunc, afflicta, & exagitata ueritas, cum nullum locum in terris in quo re-
spirare, nullum certum domicilium, nullam sedem tectam satis, atque mu-
nitam inueniret, in qua dignitatem suam illæsam, & inuiolatam contra ho-
minum insidias conseruaret, quemadmodum incorruptißima illa uirgo iu-
stitia relictis tribunalibus iudicum in cœlum, sic ueritas destitutis Gymna-
sijs philosophorum, cætuque hominum, in supernas sedes, in gremium, si-
numq; diuinum, unde fuerat egressa commigrauit. Totus igitur terra-

rum orbis densißima quadam & flagitiorum & ignorantiæ caligine circumseptus, luce & splendore ueritatis orbatus, in tenebris uersabatur, quousque confecto iam atque decurso, illo temporis spatio quod diuina bonitas asserendæ hominum libertati, implendisq; suis pollicitationibus, promißisq; præfixerat: filium unigenitum hoc est ipsam ueritatem humana carne indutam, mortaliq; conditione natam legauit ad terras: quæ hominum animos a tenebris errorum, ad ueritatis lucem; a turpißimis moribus, ad honestam uitam: a miserrima seruitute, ad dulcißimam libertatem: a cupiditate rerum abiectißimarum, ad cœlestium ac diuinarum contemplationem, amoremq; traduceret: quæ deorum simulacra è fanis expelleret: quæ templum illi sanctißimum consecraret: quæ aram non iam hominum uel animantium, sed suo ipsius sanguine madentem, erigeret: quæ iter mortalibus ad immortalitatem, ueramq; religionem ueluti digito commostraret. Sed ò cæcas atque peruersas hominum mentes, quæ non modo tantum, tamq; præclarum Dei *beneficium non agnouerunt, sed ingratißimè repudiarunt: &* non *repudiarunt modo, sed inaudito quoddam odio prosequutæ, acerbißimis opprobrijs, & crudelißima morte ipsam ueritatem affecerunt.* N*am cum ob diuturnam errandi consuetudinem, homines suis iam tenebris gauderent, & delectarentur, non poterant tantum ueritatis lumen sustinere: & quemadmodum qui diu in tenebris iacuerunt, ab illis extracti, splendidißimam lucem solis, sine grauißima offensione ferre non possunt, sed illius suauißimo, & candidißimo splendore uehementer offenduntur atque cruciantur: sic illi ueritatis lucem sese ultrò illorum animis inferentem, sed tamen cum eorum erroribus, cupiditatibusq; pugnantem turpiter reiecerunt; multoq; magis homines in eam sæuire cœperunt cum eam magis amare, & uenerari debuissent: nulloq; tempore tantum odij & persecutionum incendium contra ueritatem est excitatum, quàm eo quo illa magis cœpit de mortalibus bene mereri.* T*estes sunt contumeliæ, maledicta, cruciatus, morsque acerbißima* C*hristi,* T*estes sunt carceres, catenæ, æquulei, ignes, gladij, crateres, secures, laminæ ferreæ, reliquaq; tormentorum genera, quæ tyrannorum crudelitas contra ueritatis propugnatores excogitauit.* C*um ergo hæc omnia* C*hristus uitæ magister secum tacita mentis cogitatione perpenderet, cum uideret calamitosum illud, tristißimumq; suæ mortis tempus instare, cumque tota illa acerbißima malorum tragedia, quæ charißimis suis apostolis imminebat ante illius diuinos oculos uersaretur, maiorem animo dolorem de illorum calamitatibus, quàm de sua ipsius morte concipiens, illos hodierno sermone consolatur, impendentia mala prædicit, & ut præuisis malis minus offenderentur, & eorum acerbitatem illo uaticinio aliqua ex parte mitigaret: attendite (in-*

Gala. 4.

Ioan. 16. quit) discipuli mei charißimi absque synagogis facient uos, uos homines summo & infinito quodam odio prosequentur, uos templis exterminabunt, è consuetudine hominum expellent, contumelijs afficient, omni crudelitatis genere uexabunt, immaniter interficient, & quod est acerbius qui uitam uobis eripuerint, gratißimas se Deo hostias immolasse arbitrabuntur, sed obsecro uos subeat tunc mei memoria atq; recordatio, quem uobis priorem
Ioan. 15. mundus odio, & acerbißimis est contumelijs prosecutus. Quod si me magistrum, si seruatorem, si ipsam deniq; ueritatem tam inimice sunt insectati, quid mirum si uos, & discipulos meos, & ueritatis etiam defensores exagitent? Sed quoniam uidebat illos nunc infantium more non posse omnia ar-
Ioan. 16. cana diuina complecti. (nam illis paulo post dixit) multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo, quia nouerat eos non posse tanto animi
Ioan. 13. robore malorum impetus sustinere: nam Petri nimiam illam confidentiam illis antea uerbis represserat, non potes me sequi modo: & ascensurus in Coelum discipulos suos Hierosolymis sedere iußit, donec coelesti induerentur
Luc. 24. uirtute, quia illorum infantiam & imbecillitatem cognitam & exploratã habebat: ut eos quos suae diuinitatis testes & gloriae praecones esse uolebat, contra tot procellas & tempestates, fortißimo aliquo patientiae praesidio, coelesti patrocinio, & spe foelicitatis armaret: nunc illis spiritum sanctum pollicetur, cuius praesentia non modo non reformidabunt pericula, neq; truces tyrannorum uultus exhorrescent, sed alacri & laeto animo se in ipsas crudelißimae mortis fauces, pro Christi gloria, & ueritatis defensione conijcient, a quo non modo illorum mentes aptae atq; capaces ad excipienda
Act. 2. diuina illa mysteria rederentur, sed linguas etiam igneas acciperẽt, quibus diuina consilia mortalibus explicarent, frigida hominum pectora, amore rerum coelestium atq; diuinarum incenderent, omnes gentes atq; nationes sub euãgelij iugum mitterent, & in ultimos orbis angulos atq; recessus crucis uexillum, & lumen ueritatis inferrent. Quae quidem omnia sic euenisse si-
Eph. 4. cut ille praedixerat ipse rerum exitus declarauit: Nam cùm de morte parta uictoria captiuam duxisset captiuitatem, & gloriosißimum triumphum in coeleste capitolium (mirantibus angelis) intulisset, misso spiritu sancto, suorum discipulorum animos sic cõfirmauit, ut ille qui paulo ante ad unius
Ioan. 18. ancillae uocem contremiscebat, iam audeat in principum conspectu loqui
Matt. 26 confidenter, illis exprobrare perfidiam, illorum imperia iussaq; contemne-
Act. 5. re dicens. obedire oportet Deo magis quàm hominibus, & non possumus
Act. 4. quae uidimus & audiuimus non loqui, & reliquis etiam apostolis quibus antea uel ipse magistratum conspectus erat formidabilis nunc tormenta gratißima, accusatio iucunda, dolor uoluptas, poena foelicitas, dulcis infamia uidebatur; usque adeo ut summae foelicitatis loco ducerent, se dignos existimari

mari qui pro Christo contumelijs afficerentur. O diuina uirtus, & inaudita apostolorum constantia. O paterna clementia, & incredibilis misericordia summi Dei, qui cum paulo ante filium charißimum infinitis opprobrijs affectũ, uulneribus trãsfixum sanguine perfussum tot plagis cæssum ut toto corpore humanæ crudelitatis uestigia conspicerentur e terris ad se redeuntẽ suis manibus excepisset. Nunc mortalibus tanq̃ bene de se meritis misereret spiritũ sanctum, ut hostium, ẽt suorum, quorũ, filius fuerat seruator doctor ille nunc atq; consolator extitisset. E docti ergo fuerunt apostoli atq; confirmati diuinitus: hæc duo illis offitia præstitit spiritus ille cœlestis, nã & illis aperuit diuina consilia, & eorũ animos ita fortes redidit, atq; constantes, ut nullis periculis aut calamitatibus frangerẽtur; de quibus duabus rebus nobis hodie dicendum est: Nã primo de illo abditißimo sacræ triadis misterio pauca dicemus, quod quia magnopere spiritus sancti præsidio & lumine indigebat, statim post illius aduentũ Ecclesia celebrandum curauit, deinde uero illud Christi uaticiniũ interpretabimur Absq; Synagogis facient uos. Quod quantam uim passura esset ueritas euangelica significauit. Quapropter uos obsecro atq; obtestor sanctißimi Patres, ut qua soliti estis cæteros attentione, & beneuolentia, nunc etiam me dicentem excipiatis. Act. 5.

INTER Reliqua abstrusiora misteria quæ Christus Op. Max. spiritui sancto explicanda suis apostolis reseruauit, illud est longe cæteris excellentius atq; diuinius, & quod humanæ, angelicæq; mentis superet cogitationẽ, quod hodierno die tanta frequentia, lætitia, & exultatione christiani cælebramus: sacræ inquã triadis arcanũ. de quo quis erit tan audax & emotæ mentis, qui in hoc orbis gentiũ clarißimo sanctißimoq; domicilio in conspectu inquã uestro dicere audeat? Nam cum tria sint quæ de re quauis quæri soleant, an sit, quid sit, & qualis res sit, si reperti sunt qui Deum esse negauerint, & cũ cœli enarrent gloriam Dei, cũ clamet hæc pulcherrima, mũdi machina, tanta rerũ uarietate & splendore nitens, cũ clamet hæc splendidisſima Cœli facies, tot ardentibus syderibus, tãquã quibusdã fascibus luminibusq; distincta, cum clamet aer tot auium, uastisſimũ mare tot pisciũ generibus refertũ, terra tot animantiũ frequentia, fontibus, fluminibus, & arboribus exornata, cũ omnia deniq; quæ hic mundi ambitus cõplectitur, apertißima uoce testentur, esse aliquam uim cælestem quæ rebus prospiciat humanis, tantũq; & tam præclarũ opificiũ rectore aliquo & gubernatore carere non posse, non tamen defuere surdi, cæci, & improbißimi philosophi qui neq; has uoces exaudirent, neq; hanc tantam lucem uiderent, neq; moderatorẽ esse aliquem confiterentur, qui totius orbis clauum imperiũq; teneret. Si prætera nosse quid sit Deus sic est operosũ et arduũ. Ut Plato Deũ inuenire difficile, nosse uero impoßibile iudicauerit, et Symonides rogatis Psal. 16.

à Dionysio quid Deus esset, tres dies ad eam quaestionem explicandam postulauit, deinde alios tres, rursum & alios, & quo magis in huius rei consideratione demersus diuinam naturam humanis uiribus inuestigabat, eo se minus intelligere confitebatur: Si non modo philosophi, sed sanctissimi & sapientissimi theologi facilius et expeditius esse dixerũt, quid non sit, quàm quid sit Deus explicare: quis poterit, quis qualisque sit Deus, non dicam exprimere dicendo, sed mente saltem & cogitatione complecti? Si angeli
Esa. 63. stupefacti & attoniti cum Christum ascendentem in coelum conspicerent,
Psal. percussi quadam admiratione clamabant, Quis est iste qui uenit de Edom tinctis uestibus? Quis est iste rex gloriae? & illis uerbis huiusce rei igno-
Cor. 53. rationem apertissimè confitebantur. Si Esaias, cum atrocissimam illius mortem uiuis coloribus depinxisset, exclamat generationem eius quis enarrauit? Si Paulus gentium doctor sublatus in coelum & in illa consilia diuini-
Rom. 11. tatis admissus, cum illa secum perpenderet in has uoces prorrumpebat. O altitudo diuitiarum sapientiae, & scientiae Dei, quis audebit in illam purissimam, simplicissimamq; sacrae triadis naturam sine temeritatis & impudentiae nota curiosos oculos inferre? Quis erit tam temerarius, qui quod Angeli, Apostoli, Prophetae, quod ipsi ciues & incolae coelestes ignorant: se sci-
Psal. 75. re existimet, & explicare posse arbitretur? Exhorrescit animus, & ad tan-
Rom. 1. tae rei miraculum attonitus stupescit, et linguae atq; mentis offitium rei magnitudine longe superatur. Nam licet notus fuerit in Iudaea Deus, tamen ut creator, conditor, auctorq; rerum omnium, (licet gentibus etiam per ea quae facta sunt, cognosceretur) tamen ut rector moderatorq; mundi huius: sed trinum & unum esse Deum, nullus unquam mortalium conijcere aut diuinare potuit: Nam neque argumentum, neque exemplum aliquod natura suppeditabat, quod lucem aliquam tantis tenebris posset afferre. Diuinum hoc fuit Christi seruatoris nostri & spiritus sancti beneficium, qui Coele-
Gala. 1. sti fidei lumine, sic christianorum animos illustrarunt, & in ea persuasione confirmarunt, ut etiam si Angeli e coelo dilapsi, aliud persuadere conarentur; fremant licet Daemones & discrucientur, licet extrema tyranni comminentur, nulla uis tanta excogitari poterit, quae ab ea possit sententia Christianum populum dimouere. Sunt plane in hac rerum uniuersitate uestigia, sunt notae quaedam & umbrae huiusce rei, fateor: est animus hominis ad imaginem conditus similitudinemq; diuinam, qui mente, uoluntate, atque memoria, sacrae triadis naturam adumbret: est in unaquaque re, ueritas, bonitas, & essentia: est sol hic splendidissimus, qui natura, lumine, & calore, aliquam (licet obscurissimam) huius rei significationem exhibere uideatur: est nescio quae diuinitas, quam Pythagorica philosophia in ternario numero latere arbitrabatur: & nescio quid quod ueteres philosophi

hac

hac de re suspicabantur: sunt præterea quamplurima ueteres instrumenti testimonia: est nonnulla populo Israelitico sacræ triadis exhibita significatio: fateor: sed quis obsecro mortalium ijs uestigijs ad cognoscendam Trinitatem unquam progressus est? Quis hæc animaduertit quousque orbis & seruator, & doctor, re explicata, præbuit ansam, ut eius rei cuius cognitionem homines diuino beneficio fuerant adepti, exemplum postea aliquod in hac rerũ uniuersitate conquirerent? ille ueteres excußit umbras & illa cubilia in quibus delitescere aliqua huiusce rei significatio uidebatur indicauit: ille remoto uelamine in sancta sanctorum humanæ mentis aciem penetrare fecit: ille tribuit eam nobis facultatem, ut quod ipse docuit iam audeamus explicare: ille effecit, ut non modo Deum & unicum Deum, sed tres simul in unitate naturæ personas agnosceremus. Patrem qui fons est, origo, atq; principium totius diuinitatis, cui tribuitur æternitas sine principio, bonitas immensa, quæ neq; in conferendis beneficijs defatigari, neq; ingratitudine aut sceleribus hominum exhauriri: potentia quæ nulla senectute, frãgi, debilitariq; poßit. Filium uero (hoc est) diuinum uerbum in ipsis paternæ mentis uisceribus conceptum ex immensa rerum cognitione genitũ, qui splendor sit species, figura, & expreßißima imago paternæ illius diuinæq; naturæ, riuus ex uberrimo fonte, radius ex sole splendidißimo porrectus, cui sapientia ipsa dicata atq; consecrata est, in quo lucent & splendent rerum omnium imagines, cuius præsidio omnia pater confecit: qui Deus cum esset misericordia motus, non modo ad uile abiectamq; hominis conditionẽ se dimisit, sed & postremas contumelias, mortemq; descendit ut morte sua uitam hominibus, libertatemq; restitueret: & ut illis esset uia quæ errare; ueritas quæ decipi: uita quæ mortales interire nulla ratione pateretur. Spiritum uero sanctum ex illis amoris flammis quibus se pater filiusq; complectuntur procedentem, qui bonitatis fons, charitas ipsa, & pignus esset cœlestis hæreditatis: à quo pax, gaudium, solatium, à quo iustitia, integritas innocentia, à quo sapientia, bonitas constantia, à quo libertas, sancititas, perfectio, omnia denique cœlestia munera beneficiaq; promanarunt: à quo illustrati Prophetæ, pastores eruditi, apostoli confirmati & inflammati sunt: ita tamen ut cum audiamus tres illas diuinas personas nominari: non intelligamus unitatem illam simplicißimam naturæ diuinæ trium personarum numero aliqua ratione uiolari, quominus, licet tres sint personæ distinctæ, unaque alia non sit, omnes tamen unus sint simplicissimusq; Deus. Et quamquam Patri potentia, filio sapientia, spiritui sancto, bonitas tribuatur, non sic accipiendum ut quod uni conceditur cæteris auferatur, cum omnes eadem unaq; bonitas, æternitas, sapientia, diuinitas, potentia, maiestas, gloria, beatitudoq; complectatur. Itaq; ab hac diuina admirabiliq; natura cum de

Heb. 6.

Heb. 1.

Ioan. 14.

2. P. 1.

ea loquimur, diuersitatis uerba longe remouenda sunt, ne iniuria aliqua simplicissimam unitatem afficiamus; tum uero diuisionis ne simplicitati, disparitatis ne æqualitati, separationis ne tātæ necessitudini, dissimilitudinis ne ēt unitati, singularitatis ne triadi, perturbationis ne ordini: solitudinis ne sacrosancto illi trium personarum consortio uim aliquam, aut iniuriam imprudenter inferamus, sed simplicissimam illam purissimamq; sacræ triadis unitatem quam docuit Christus, sua sit spiritus sanctus, cœlebrarunt apostoli confirmarunt concilia ecclesia edocta diuinitus explicauit, & hodiæ proponit adorandam supplicibus nunc animis ueneremur. Sed quo me rapuit insania? Quo me per immensum hoc pelagus temerarius ardor, furorq; prouexit? quod ingredi angeli reformidant, & in quo tot Arrij, Macedonij, Sabellij, Eunomij, Marcelli miserum fecere naufragium? Complicemus igitur uela & placidum aliquem securumq; portum occupemus, ne fragilis, leuisq; nostra cymba longius prouecta inter confragosas cautes ijs tantis difficultatum fluctibus obruatur; & hanc tantum Dei maiestatem quam assequi cogitatione non possumus, proui, atq; supplices silentio, & admiratione reueareamur; gratulemur q; sanctissimæ triadi, quòd cum hoc misero & calamitoso seculo, omnia ferme Christiana dogmata ab hostibus conuulsa & labefacta sint, illa ex hoc tanto incendio salua & incolumis euolauerit, pijssimæq; matris Ecclesiæ exemplum uestigiaq; sequamur, quæ cum dignam hoc tanto mysterio orationem inuenire non posset, quod non assequitur exclamationibus colit, & in illas uoces plenas admirationis laudisq; prorrumpit. Ò adoranda trinitas, ò ueneranda unitas, ò perfecta deitas: tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in sempiterna secula.

S E D *uenio iam grauiss. Pat. ad alteram orationis nostræ partem, & huic loco, & his temporibus magnopere accommodatam ad Christi seruatoris nostri uaticinium, ad eas inquam ærumnas & calamitates explicandas, qua Veritas euangelica passa est; in qua cum tot ecclesiæ acerbissima uulnera, se nostris oculis obijciant, uix se potest meus animus ingenti dolore & commiseratione præssus continere, quin mortiferas & insanabiles eius plagas, iustissimis lacrymis & lamentatione prosequatur. Quis est enim tam ferreus qui in tanta malorum acerbitate lacrymas possit continere? Qua in parte mihi uisa est ecclesia sponsi dulcissimi Christi in iniurias atque cruciatus imitari. Nam sicut ille uerberibus cæssus sic est dehonestatus ut (quemadmodum uates Esayas multo ante cecinerat) non modo in eo decor aliquis aut pulchritudo, sed neque hominis forma aut species appareret: sic etiam Ecclesiæ pulcherrimā faciem, turpissimis erroribus dehonestatam, deformatam uideamus, & sicut ille tot plagis & uulneribus affectus est, ut nullus in eo locus sanus conspiceretur, qui nouo*

Cap. 35.

uulne-

uulneri excipiendo petere posit: sic nullum est ecclesiæ membrum quod ali quod hostium telum non exceperit: & quemadmodum ille ab ipsa infantia pericula discriminaq; mortis subire & innumeros labores perferre consue uit, sic illa impias & sanguinarias carnificum manus & hostilem hæretico rum audaciam inter ipsa crepundia experta est. Nam cum tria sint hostiũ genera, infesta euangelicæ ueritati, primum tyrannorum qui crudelitate et gladijs armati inauditis tormentorum generibus homines ab illa reuocare & Christi sanctißimum nomen delere conarentur: alterum eorum qui Chri stianæ doctrinæ puritatem sicut improbißimi illi senes Susannæ pudititiam uitiare atq; corrumpere studerent: tertium eorum qui autore Paulo, ueri tatem Dei in iniustitia detinent, hoc est illorum qui prauis moribus, & per dita uita, uim etiam inferunt ueritati, ut illam elucere minime patiantur: ij omnes hostes statim in ipsis exordiis nascenti religioni bellum acerri mũ indixerunt, nec paßi eam adolescere ut uiribus cõfirmata se colligeret, & cum illis æquo Marte congredi potuisset: infanti adhuc ecclesiæ & in ip sis incunabulis uagienti iam ipsi insidiabantur. Tyrannorum sane cæca ra bies & insania, auctoritate & potentia munita, in Christianorum innocen tiam, omni nudam atq; destitutam præsidio, impune, crudeliterq; sæuiebat: & eo atrotius, atq; crudelius, quod ea ratione Dei se partes agere, & se il li gratißimum obsequium exibere arbitraretur. Rapiebantur itaq; tũc qui Christo nomen dedissent ad tribunalia iudicum, & abstracti ex ipsa Chri sti schola & Ecclesiæ complexu, tractiq; ad carnificinas, opprobrijs & contumelij affecti, uexati, torti, indicta causa condemnati ad supplicia cru delißima deducebantur. Sed ò res stupore & admiratione dignißima, uexa ta tunc, & delacerata ecclesia inter ipsas tamen carnificum cruentas ma nus, maiora in dies suscipiebat incrementa; & illorum qui pro Christo mor tem oppetebant effuso sanguine ueluti sparso semine noui Christiani nasce bantur. Vt mihi quidem sapienter Tertulianus martyrum sanguinem Chri stianorum semen appellasse uideatur: & Augustinus, qui multo dixit esse pulchriorem euangelicam ueritatem Græcorum Helena, pro qua multo for tius martyres contra Sodomam, quàm pro illo Græci contra Troiam dimi cauerunt. Sed quanquam hoc hostium genus atrocißimum fuerit, quod ec clesiæ sanguinem semper exorbere cuperet, & illo suas paßim secures cru entare, tantum abfuit ut id quod optabat assequeretur, ut morte ipsa, qua existimabat se posse nascentem religionem extinguere, fouerit & locuple tauerit: & dum crescenti Christi gloriæ inuidet, illam multo rediderit illu striorem. Sed illud est longe atrotius, atque crudelius eorum hominũ, qui in Ecclesia nati, ex illius uisceribus progreßi, in eius gremio atq; sinu educati in illius schola eruditi, eius sanctißimis præceptis instituti, et sacramẽto au

Dan. 13.

Rom. 1.

Ioan. 16.

cto-

*ctorati ab illa turpiter defecerunt: & in sanctißimam, pijßimamq; matrē contumeliosi, insanis erroribus illius tranquillitatem pacemq; turbarunt: & charißimos eius liberos illa miserabiliter flente & collacrymante ex eius sæpe complexibus abstulerunt, ut quæ modo in ipsas Tyrannorum armatas manus, nuda, inermisq; coniecta, non modo partem dignitatem conseruabat, sed augebat: nunc proh. dolor, non liceat illi per filios collectam tā tis sudoribus & sanguine gloriam retinere. Quę quid acerbius & calamitosius excogitari potest? Conferte Grauis. Pat. Tyrannorum potentiam cū hæreticorum audacia, & inuenietis tanto maiora damna & acerbiores iniurias ab hæreticis quam à tyrannis ecclesiam accepisse, quanto est atrocius intestinum domesticumq; bellum, quàm externum: tātoq; nunc illam esse mæstiorem quanto est funestius & calamitosius, matrem à filijs quàm ab hostibus dilacerari. Multi antiquis temporibus ecclesiæ hostes extiterunt, non est necesse commemorare uos ipsi grauiß. Pa. recordamini, qui illam uarijs & miserabilibus modis afflixerunt: sed nunc quis est qui mæstißimam eius faciem siccis oculis poßit intueri? Habuit quondam tyrannos qui illam delere, Hæreticos qui discerpere, & distrahere conarentur: sed nunc non simplices Tyrannos, non nudos & inermes hæreticos, sed cum hæresi coniunctam tyrannidem, armatam contra se iam hæresim intuetur. Vidit quōdam Iulianum aliquem, uidit Honoricum sæuum, Vādalorum Africæ regem, Arrianis fauentem, illisq; bona atq; templa restituentem, sed nunc uix potest coniuratos contra se principes numerare. Vidit aliquando unam aut alterā prouinciam hæresibus infectam & contaminatam; nunc uero ab ultima scythia, ad extremas usq; Europæ partes, totum penè Christianum orbem ueluti fretum aliquod aut Euripum erroribus æstuare: & non modo inquinatas prouincias, regna, atque nationes, sed perditas iam & profligatas: non solum apertos hostes, sed occultos etiam inter ipsa filiorum latera cum maximo eorum periculo uersari. Vidit quondam Encratitas, Catharos, Euchitas, acerrimos sanè hostes, sed qui prætextu uirtutis, (unde nomen sortiti sunt) se in Christianorum animos insinuarēt: nunc uero nullo religionis prætextu, sed specie quadam improbißimæ libertatis cuius amore pernicioßißimæ fouentur opiniones, in Ecclesiæ pernitiem irruere. Vidit unum aut alterum dogma christianum, labefactari, nunc integram religionem euerti. Sensit membrum aliquod Ecclesiæ uulnerari, nunc uero totum illius corpus saucium atq; cruentum intuetur. Vidit oppugnari aliquando fidem à perfidia, lucem à tenebris, ueritatem à mendatio, Christū ab ante Christo: nunc uero sacrilegium cum hæresi coniunctum & copulatum conspicit. Videt. n. spoliari templa, aras euerti, omnibus ornamentis fana nudari, contemni leges, subsanari pontifices, irrideri sanctos, patriam auitamq; fidem deseri.

&

& quod est miserabilius, hostium gladios atq; secures ipsis iã ecclesiæ ceruicibus imminere, trucidari catholicos & ipsas Christi sanctissimas aras illorum sanguine madere. O rem acerbam & calamitosam obsecro uos obtestorq;, sanctiss. Pat. ne moleste feratis hoc in loco has ærumnas ecclesiæ & miserrima naufragia sæpe referri, & aures animosq; uestros illorum commemoratione uulnerari. Liceat obsecro mæstissimæ matri apud charissimos filios lugere, ac lamentari suam infælicitatem, liceat uulneratæ, atq; sauciæ acceptas plagas, & grauissima uulnera medicis detegere, liceat afflictæ sponsæ ad sponsi dulcissimi pedes prouolutæ conqueri, de iniurijs, infortunijsq; suis: liceat illi hac saltem frui consolatione quando alia non potest: ut uos qui illius filij, qui sponsi, qui pastores, & medici estis, misericordia commoti, erigere iacentem alligare illius uulnera & consolari lamentantem maiori animi ardore & contentione studeatis. Vtinam mihi cælestis spiritus illam uim dicendi tribuisset ut hanc tantam cladem & stragẽ ecclesiæ uestris nunc oculis subijcere potuissem, non dubito quin non modo uos qui illius uicem sortemq; doletis, sed saxa ipsa atq; lapides flere & lamentari coegissem. Non enim iam hæretici sed monstra non hæreses sed furiæ in christiana Rep. uersantur. Nam scripturam diuinam corrumpere, et deprauare, maiorum instituta contemnere, doctorum autoritatem negligere, conciliorum decreta despicere publicæ paci & tranquillitati inuidere, hæreticis omnibus commune semper fuit & usitatum, sed bellum acerrimũ, & calamitosum aris, templis, altaribus, imaginibus, legibus, sacrificijs inferre, sacramẽta delere, & illa unica hostia corporis & sanguinis Christi, christianas aras spoliare, ius omne cerimoniarum auferre in omnes sacerdotũ ordinis impudenter inueni, mentes, sensus, sermones, libros, ira, odio, & stomacho ardere, non modo infestissimis animis sed hostilibus armis uelle religionem funditus euellere, atq; delere, hoc sane huius ætatis infœlicissimæ proprium est, ut nisi firmum staret Christi seruatoris nostri promissum inferorum portas frustra contra ecclesiam esse conaturas, nunc mihi de illius interitu reformidandum esse uideretur. Quid ego grauiss. Pat. in uestrum sanctiss. ordinem iactatas referam contumelias? memoriæ proditum est Arrianos conatos fuisse ecclesiæ pastores qui illorum furori acriter resistebant de medio tollere: itaq; Antiochiani, Eustacio, Andrianopolim Eutropio, Constantinopolim Paulo, Alexandriam Athanasio, Italiam Dionysio, Galliam Paulino, nefarie priuauerunt. Vt sublatis gubernatoribus (sicut dixit Cyprianus) ipsi liberius circa Ecclesiæ naufragia grassarentur. Nunc uero nostri seculi homines non contenti Angliam uniuersam, magnamq; Germaniæ partem orbatam pastoribus reliquisse, & cæteris iam etiam prouincijs insidiari, clauum totius Ecclesiæ à Christo seruatore nostro Rom. Mat. 16

Pont.

Pōt. traditum, ò singularē audaciā) ex illius sanctissimis manibus extorquere nituntur: quinetiā & Carolo inuictissimo Imperatori & Christianæ religionis assertori imperiū aliquando auferre conabantur: ut ijs duobus luminibus extinctis cimerias ipsi tenebras in Christianam remp. inferrēt. Quid ego tempestates ab illis excitatas commemorem? Quid Ecclesiæ bona direpta? Quid seruos contra dominos armatos, & tercēta hominum millia trucidata? Quid trecentum in Franconia spoliata monasteria? & illa quæ nūc cæteris in prouincijs passim deripiuntur? Quid combustas publice sanctissimas Ecclesiæ leges? Quid Solemanum infestissimum Christianæ religionis hostem ab illis sollicitatum ut Christi sponsam sæuissimis Turcarum armis dilacerandam obijcerent? Sed hæc uetera, quid illas pugnas, perturbationes, incendia, cædesq; quotidie ad aures uestras tanto cū omnium dolore differuntur? hoccine est esse Christianos? hoccine est esse euangelicos? hoccine est esse Christi discipulos & imitatores? O tempora misera & infoelicissima, qui questus, qui mæror, quæ lachrymæ, quæ oratio digna his tantis malis inueniri potest. Quid primum conquerar, Patres? nunquid illorum interitum qui ab ecclesia defecerunt deplorabimus? O Galatæ, quis uos fascinauit non obedire ueritati? O clarissima Germania cui Ecclesia Romana simul cum religione sanctissimum quoq; tradiderat imperium, ut cuius fidem constanter retinebas illius etiam dignitatem contra hostiū iniurias uictricibus armis conseruares. Quo animo & quo uultu illamet arma sacrosancta quæ ad eius salutem tuendam tuæ fidei commissa sunt, in materna uiscera conuertere potuisti? Quis religiosissimam gentem subuertere, sapientissimam decipere, fortissimam & constantissimam ab inueterata religione potuit deturbare? Tuq; etiam Christianissima quondam Gallia, quæ ob eximiā pietatem & religionem hæreditarium hoc nomen à maioribus acceptum illæsum atq; inuiolatum tot seculis conseruasti, quæ tot habeas domestica exēpla regum sanctissimorum, quæ tantam gloriam eras adepta ut nullum esset regnum, nulla natio, nulla prouincia, in qua non Gallorum uestigia religionis gratia impressa conspicerentur: nullaq; tam remota regio in quam tuæ pietatis fama non penetrauerit: Quis te fascinauit non obedire ueritati? Quis è tanta gloria deiecit? Quis tibi hanc tantam inuidit fœlicitatem? Teq; etiā Anglia, uosq; reliquas nationes cæterosq; mortales appello qui matrem sanctissimam ecclesiam deseruistis: Quis uos ab ecclesia Romana, quæ est sponsa Christi, quæ est archa Noe extra quam non est salus, quæ est columna & firmamentum ueritatis, quæ est sancta illa ciuitas Hierusalem segregauit? & paucorum hominum temeritati & audaciæ parere fecit? Quis uos fascinauit non obedire ueritati? Resipiscite fratres aliquando, et uos Syrenum cantus qui uobis falsa quadam libertatis specie blandiuntur,

Gala. 1. (margin note beside "interitum qui ab ecclesia defecerunt")

sed

sed letalem somnum comminantur, fugite, & pijßimæ matris ecclesiæ uocem agnoscite, & afflictæ atq; calamitosæ & interitus uestri dolore confectæ miseremini: Quæ nunc uos magnis ad se uocat clamoribus, quæ sinu redeuntes excipiet, quæ consertis brachijs uos summa beneuolẽtia complectetur, quæ suarum calamitatum amplius non recordabitur, quæ lata lege obliuionis acceptas iniurias sempiterno conteget silentio: Quam quidem mæstam sordidatam lugubri habitu, obortis lacrymis ad genua uestra prouolutam sic uobiscum agere existimate. Quis uos filij mei charißimi à meis cõplexibus abstraxit? quis præcepta mea tam longa seculorum serie, tot sacrorũ conciliorũ & doctorũ auctoritate firmata docuit negligere? cur illam uiam quam apostoli martyres, pastores, tot doctißimi, & sapientißimi homines ingreßi sunt, quã & Christi & martyrũ sanguine tinctam uidetis, deseruistis? Stupescat cœlum, me fontem aquæ uiuæ dereliquistis, ut pertusas & dißipatas cisternas sequeremini? Cur meo sacramento autorati milites, parentis signa deseruistis? Cur meũ suauißimum iugum è uestris ceruicibus expulistis? Quod ego tantũ contra uos concepi scelus, ut quos genui in Christo, quibus uitam dedi, quos lactaui, quos indulgentia materna foui, quos in spem cœlestis hæreditatis erexi, pro quibus nunc & preces & lacrymas fundo, uos discipuli in magistrã ingrati, filij in matrẽ crudeles, amici in sponsam sitis contumeliosi? O & me miserã & uos infœlicißimos. Sed emergat iã ex ijs uadis oratio, & istos doloris atq; lacrymarum scopulos prætereuecta se tandem ad inuestigandum aliquod tantis malis remedium, cõsolandamq; mæstißimam matrẽ conuertat: qua in parte quem primũ inuocauimus patres? Cuius auxilium implorauimus? Nunquid Dei? at uereor ne peccatis & sceleribus nostris offensus, auertat oculos, aures occludat, & illud nobis supplicantibus quod olim populo Israelitico respondeat. Neomenias & sabbata uestra odiuit anima mea. Neq; enim ullam aliã tantorũ malorum causam extitisse arbitror, quàm populi Christiani flagitia. Propter peccata tua (inquit Deus per Hieremiam,) alloquens Veterem ecclesiam) relinqueris sola ab hæreditate tua, quam dedi tibi & seruire te faciam inimicis tuis. Ego sane Grauiß. P. cum miseram horũ temporũ conditionem, et calamitosum rerum statum considero, uideor uidere incensam ira atq; indignatione Dominum, euaginato gladio sponsam ob filiorum scelera uulnerare, & illi seruitutem atq; solitudinem comminari. In tantis uero malis unicum uideo esse remedium præsidiumq; lachrymarum, ut ploremus coram Domino ut tantum istud incendium in Ecclesiæ fortunis excitatum expreßis dolore peccatorum lachrymis restinguatur: ut sacrã quã hodie colimus triadem inuocemus, ut conniuentem in nostris calamitatibus Dominum, & ueluti nostris malis indormientẽ illis regij uatis uocibus excitemus. Exur

ge Domine quare obdormis,exurge & ne repellas in finem,quare obliuisce ris inopiæ nostræ,& tribulationis nostræ. O pater cælestis nũquid ecclesiã quam tibi atrocißima filij morte consecrasti,incendi nunc ab hostibus, diripi,atq; uastari,patieris?cupis ne fortaßis in alias illã puriores sedes transferre?& sicuti quondam Hierosolymæ,Asiæ,Græciæq; templa, nunc etiã reliquæ Europæ sanctißima domicilia tuorum martyrũ sanguine consecrata ab hostibus occupari sines?si nihil nostris præcibus,si nihil ecclesiæ lacrymis,si nihil eorum qui paßim iam pro tua gloria trucidantur sanguine uocibusq; moueris,respice in faciem Christi tui: ut hæc tua iustißima indignatio peccatis nostris sceleribusq; concepta, illius conspectis uulneribus pro nostra salute susceptis mitigetur. Teq; etiam humanæ libertatis assertor atq; magister Christe Iesu spes unica solaciumq; mortalium, e cuius cruentis uulneribus simul cum sanguine mortalium salus,uita,fœlicitasq; promanaruut te inquam appellamus,nunquid spõsæ cuius causa mortẽ atrocisſimam subijsti obliuisceris?nunquid oues nota crucis inustas,quæ signum semper salutis fuit,à lupis misere dilacerari permittes? nunquid non illas iã inimicorum uoces in nos iactatas exaudis:ubi est Deus eorũ: quibus nihil esse potest uel tuæ clementiæ contumeliosius,uel ad nostram calamitatem acerbius. Teq; spiritus sancte qui ueritatis splendidißimo lumine christianorũ animos illustras, nunquid patieris ut omnia nunc tenebris errorum occupentur? Teq; uirgo sanctißima pijsſimaq; mater, quã uoluit Christus esse ueluti aram religiosisſimam,ad quam in rebus afflictis & calamitosis confugeremus,quam omni honore,& tuo nos patrocinio spoliare homines perditisſimi conantur. Teq; princeps Apostolorũ Petre cuius humeris hanc molem ecclesiæ Christus imposuit,cui clauum eripere cuius successores Pontifices Romanos è sede deturbare nituntur. Vosq; fortißimi martyres,fælices animæ,incolæq; cœlestes quos ecclesiæ custodes, mortaliumq; patronos Deus esse uoluit,quorũ immortalibus meritis minime nos adiuuari ecclesiæ hostes arbitrantur,uos (inquam) omnes imploramus, uos hanc funestam flammã à uestris altaribus ab ecclesia Christi & Christianorum mentibus remouete:ut hic tantus impetus quem humana imbecillitas sustinere non potest,diuina uestra uirtute comprimatur. hoc est unicũ singulareq; perfugium sanctißimi Patres. Vt ad diuinam clementiã,ad uota,præces & lacrymas confugiamus. Quòd si ullum ab hominibus ecclesia sperare auxilium potest id nunc totum in uobis situm & collocatum est: uos illam consolari,eius lacrymas abstergere,uos illius sordes abluere, & pristinum illi splendorem restituere potestis:uos illa nunc per Christi crucem & sanguinem obsecrat;& obtestatur, ut afflictæ & calamitosæ matri subueniatis,ut iacenti porrigatis manum,eripiatis ex hoc miserrimo nau-

fra-

fragio,& ereptam in portu aliquo ubi conquiescat, saluam & incolumem collocetis,uosq; imprimis appellat Illustrißimi Legati,quos diuina bonitas in hoc altißimo Ecclesiæ uertitate collocauit,ut omnia circumspicere uide re,& illustrare deberetis,quos hac purpura exornauit, ut mortis Christi admoneret,& ut illam si esset opus rubicundiorem effuso pro Christi gloria uestro sanguine redderetis. Vosq; etiam sanctiß.Pat.quos Cœlestis sapientia pastores & esse & appellari uoluit ut nullum periculum aut laborem recusandum,sed crucem etiam atq; mortem pro salute ouium & ecclesiæ dignitate sustinendum arbitraremini,uos inquam omnes appellat uestrā fidem implorat,uos obsecrat,ut uiam nunc inuestigetis,qua si non pristinū decorem recuperare has saltem quæ supersunt reliquias contra furorē hostium tueri conseruareq; poßit,Ad quam quidem rem obtinendam sunt qui ueterem illam seueram morum disciplinam in primis reuocandam arbitrentur,quorum sententiam quis est qui non prebet?qui non ducat salutarem,& ad placandam diuinam indignationem magnopere pertinere non uideat? illas audio grauis.Pat.tota Germania iactari uoces:fides antiqua,mores antiqui.in quibus sicut est aliquid quod probem sic etiam est aliquid quod molestißime feram & grauißime dolendum atq; reprehendendum putem. Illis etenim uerbis primo significant se non ob aliud ab antiqua fide degenerasse, qua quod nos ab antiquis moribus deflexerimus. Quod quis non intelligat summopere esse deplorandū?Quid enim potest indignius excogitari quàm tanti sceleris culpam in ecclesiæ corruptos mores transtulisse? An quod me ignauum uideris militem,tibi transfugam & proditorem esse, licere existimabis?Quod ego sim ambitiosus,tu parricida ? Quod ego superbus, tu in Deum & sanctos contumeliosus?An quod gubernator dormiat aliquando, & qui in naui ferūtur sint profligatis moribus tu nauim pforabis? Quod domestici sint improbi,tu domum incendes?Quod ciues sint iniqui, tu ciuitatem hostibus diripiendam dabis? O summam hominum cæcitatem.Sed quā quam illorum cæcitas lacrymis sit & commiseratione dignißima, qui hac occasione tantum in se scelus admittendum putauerunt, nos tamen illorum reprehensiones,tacitas quasdam Christi seruatoris nostri uoces, suam ecclesiam per inimicos excitantis & admonētis existimare debemus: præsertim cum illi hac potißimum uia ad expugnandam ecclesiam seducendamq; popularem multitudinem progrediantur.Nam siquid est in Ecclesia deprauatū, siquid corruptum & contaminatum,id solum curiosißime notatum in unū quasi,aceruum congesserunt,id habent innumerato,id in gymnasiis, in suggestis,in publicis priuatisq; colloquijs,in templis,in foro,in angulis, in contionibus,in omnibus hominum circulis,id inquam unum sermonibus & libris populo iactant,hoc unico argumento,& errores tuentur, nos in odiū

C addu-

la præsidia & adiumenta, quæ nullus mortalium (in tanta præsertim rerũ perturbatione) non dicam sperare, sed neq; optare unquam potuisset. Vota per totum orbem Christianum, huius rei causa, suscepta sunt, omnibus omniũ ecclesiarum altaribus supplicatur, continuis precibus & lachrymis diuina sollicitatur misericordia, habetis sãctißimorũ patruũ, doctißimorũq; hominũ frequentiam innumerabilẽ, habetis Clarißimi imperatoris, potentissimorumq; regum, rerumpublicarum, principumq; Christianorũ legatos, quorum dulcissimo conspectu recreatur ecclesia & sibi uobisq; summã securitatem pollicetur: qui non modo consilio, atq; prudentia, sed armis etiam atq; potentia auctoritatem & decreta uestra fortissime tuebuntur. Quæ quidẽ omnia Pij, quarti, Pontificis Max. domini nostri singulari beneficio adepti estis: qui ut Ecclesiæ subueniret, nullis laboribus, sumptibus, impensis, parcendum iudicauit: qui omnes principes Christianos, oẽs ecclesiarum omnium pastores, ad tuendam illius dignitatem, quam & uita & rebus omnibus chariorem ducit, tanta sollicitudine & industria e suis sedibus excitauit, ut mihi quidem in rebus prope desperatis, signum aliquod salutis sustulisse uideatur. O Pater sanctissime, cuius cum ego flagrans studium in cogendo concilio, in tot pastoribus conuocandis, in tot regum, principumq; christianorum accersendo præsidio, in sollicitandis etiã ipsis christianæ religionis hostibus omni beneuolentiæ significatione, cum hæc inquam omnia tacita mentis cogitatione perpendo, te quidem diuina bonitate & clementia in hac tẽpora infœlicissima reseruatũ intelligo: quibus præter te nullus alius subuenire, aut mederi potuisset. Fruere P. Beatissime hac tãta tua gloria & fœlicitate, te totus christianus orbis assertorẽ suæ libertatis agnoscet: tibi non homines modo, sed angeli, ẽt, ciuesq; cælestes plaudent & gratulabuntur: tibi se ecclesia suã salutẽ debere confitebitur: tibi Christus cuius uices geris coronã uirentibus perpetuo floribus ijs tantis tuis laboribus uirtutibusq; dignã, suis iam manibus intexit, eã sacrosancto uenerandoq; tuo capiti impositurus: tibi non modo præsens seculũ, sed ipsa posteritas gratulabitur, & hanc tuã pietatẽ incredibilem, quã & operibus, & nomine profiteris, sempiternis laudibus celebrabit. Quid igitur restat. G. Pa. ut finẽ aliquando dicendi faciamus, nisi ut quãdo neq; tẽpus cõmittatis, neq; maiora q̃ illa, quæ nunc habetis præsidia, sperare potestis, summa celeritate, & festinatione, in qua ego oẽm spem sitam & collocatam arbitror, ad stabiliendã & confirmandã ecclesiã remis uelisq; (q̃ aiunt) contendatis. Nostis optime Sanctiss. Pat. ecclesias uestras innumerabiles, nunc pastoribus orbata, in maximo periculo uersari: Nostis præterea hanc sanctam synodum, sæpe coactã temporum iniurijs, bellorum tumultibus, inimicorum insidijs dissolutã, dissipatamq; fuisse: Nostis ẽt Vuitembergẽses Theologos

prin-

principem suum, cum exercitu quondam, ad dissipandum concilium armasse. omnia nunc tentabunt, omnia experientur: adest hic uicina Germania, quae non mediocriter huiusce rei exitum, extremã sententiam, damnationẽq; re formidat: mihi credite, licet in ipsis alpium uisceribus inclusi, ijs tecti satis, atq; muniti montibus, & rupibus uideamini, in hos ẽt angulos subita et inopinata hostium arma penetrabunt: uideorq; mihi aliquando uidere concussum tumultibus orbẽ, armorũ strepitum audire, Anibalemq; ipsum ad portas, hostes inquam ad ista montiũ ostia faucesq; consistere, uosq; Grauiss. Pat. de fuga solum & salute uestra cogitare, & simul cum fuga discessuq; uestro, miserrimae matris ecclesiae interitum funusq; contemplor. O rẽ miserrimam & omnibus seculis deplorãdam. si modo (quod Deus auertat) hic tantus, tam illu s. ris, clarissimusq; caetus uester, re infecta dissoluatur actum est de religione christiana. Exultabunt aduersarij, ingentes animos concipient, alacres & laeti uolitabunt, se uera sentire, nos errare, nobis infensum sibi Deum propitium esse iactabunt, & ueluti iam de nobis parta uictoria gloriabuntur: ecclesia uero omni spe destituta, omni orbata praesidio, quid aget? Quem inuocabit? Quo se uertet? cuius opem, & auxiliũ implorabit? quem locum hostibus uacuum reperiet quo se ualeat recipere? quã sibi imposterum spem pollicebitur? nunquid ut iterum synodus cogatur? nũquid sperare poterit ut haec unica spes, toties iugulata reuiuiscat? Quin potius metu exanimata, omni spe destituta, praeteritae calamitatis memoria, & impendentis timore confecta cadet misere suis hostibus, in triumpho captiua ducetur, & in praedam illis exhibita, se ab illis dilaniari, dilacerariq; patietur. Quae quidem mala ne illi eueniant uobis Gra. Pat. celeri ter prouidendum est. Efficite nunc cum silent arma, cum nondũ hic bellorũ strepitus exauditur. cum omnes in summam spem uolunt uestris pendere sententijs, Ecclesiae salutem contineri arbitrantur. Cum oracula huius concilij ab omnibus prouincijs suspensis animis, tanquam unicum & singulare tantorum malorũ remedium spectantur: ne frustra de sapientia consilioq; uestro totus christianus orbis sperasse uideatur. Efficite Pat. ut uel illas prouincias quas nondum furor hostilis in uasit, tutas, firmas, atq; constantes, decretis uestris sanctissimis conseruetis, uel quod ego de diuina bonitate uestraq; sapientia mihi polliceor, ut cor illud unum & unica anima, quã spiritus sanctus, omnibus christianis uoluit & fecit esse communem, & quorundam licentia multis nunc erroribus distraxit atq; dissipauit, iterũ diuina uestra uirtute coeat & copuletur: ut omniũ sit unus animus, una fides, unus spiritus, quorũ unus est Deus, unicusq; seruator Christus. cui sit laus decus, honor, gloriaq; sempiterna. Amen.

FINIS.

